



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 30. Sominettæ Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. in Majorum suorum tumulo repon-
A. C. 1568. rentur.

§. XXX.

Simonettae Cardinalis extrema.

Clacon.
pag. 924.

Inter Cardinales hoc anno defuncto
 tertius numerabatur Ludovicus Si-
 monetta Mediolanensis, sacri, profane
 que juris Doctor. Is Anno Incarnatio-
 nis Dominicæ millesimo quingentesimo
 trigesimo sexto Pisauriensis Antistes e-
 lectus huic Ecclesiæ usque ad annum
 reparatæ salutis millesimum quingente-
 simum sexagesimum præfuit, postea au-
 tem eandem cum Laudensi Episcopatu
 permutavit, postquam a Pio IV. Anno
 Salvatoris nostri millesimo quingentesi-
 mo sexagesimo primo Cardinalis tituli
 sancti Cyriaci in Thermis creatus fue-
 rat. Dein ab eodem Pontifice Legatus
 ad Tridentinum Concilium decretus,
 eo absoluto suorum Sociorum, om-
 niumque Patrum nomine Romam con-
 tendit, ut decretorum confirmationem
 peteret: insuper adjungebatur illis, qui
 ipsius Concilii acta in usum deducere
 jubebantur: præterea præfuit Signatu-
 ræ, ut vocant, justitiæ, cum interfuis-
 set Pontificiis comitiis, quibus Pius V.
 Petri Cathedram ascendit. Sepultus
 est ad S. Mariam Angelorum in Ther-
 mis

mis sine ulla inscriptione, & ferme abs-
que ulla funeris pompa.

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

Cum autem quidam latro Simonetæ Cardinali quoad faciem, ac corporis habitudinem haud absimilis esset, is ipsius nomen, vestes, & reliqua insignia usurpare audebat, atque ficto hoc, superboque apparatu fretus quamplurimos etiam inter Nobiles decepit, pluresque Italiæ Urbes pervagatus, impedimenta matrimonii in secundo, ac tertio affinitatis gradu dirimebat, & dispensationes concedebat, necnon beneficiorum renuntiationes admittebat: insuper excommunicationis vinculo innexos liberabat, indulgentiasque concedebat, & alia his similia, vel etiam multo majora, quæ Legatus de latere facere consuevit, perpetrabat, unde tantam auri copiam ex his sibi comparavit, ut tota ejus suppellex ex auro, atque argento Principum more esset instructa: omnes pariter prædones, qui eum comitabantur, illum Eminentix vestræ prærogativa honorabant, exteriusque honores tantæ dignitati, si re ipsa substitisset, debitos exhibebant, ex quo factum, ut multi Nobiles delusi aliquamdiu eum comitarentur, hospitio exciperent, necnon pretiosis donis auferent: tandem detecta fraude ementitus hic Cardinalis in Bononienti

T 4

ditio-

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

ditione comprehensus instructis iudicii actis laqueo aureo ad collum appposito, & marsupio vacuo suspendebatur, eaque appendebatur tabula cum hac inscriptione: *sine Moneta*, qua significaretur, non hunc esse Cardinalem Simonettam, ut se jactabat, sed grassatorem, qui tunc *sine moneta* erat.

§. XXXI.

Salviati Cardinalis mors.

Ciacon.
pag. 907.
Aubery l. c.
Sanmarth.
Gall. Christ.

Quartus erat Cardinalis Bernardus Salviatus ex Nobili, & perantiqua Florentinorum familia natus, nam ejus Parentes erant Jacobus, & Lucretia Medicæa, Leonis X. Papæ Soror, ac Catharinæ Medicææ Franciæ Reginæ Matertera: insuper is fratrem habuit Joannem Salviatum Tranensem Episcopum, ac Cardinalem, qui Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio obiit. Porro Bernardus primo Melitensis Eques, & postea Prior Capuanus, ac supremus Prior Romanus, & denique Ordinis sui Archithalassus nominabatur, quò munere auctus maximam sibi comparaverat gloriam, ac nominis sui famam, quippe se Turcis omnino terribilem reddebat, cum Fagieranum alveum ingressus omnes arces, quæ ejus armis, ac com meatui obsistebant, in cineres redigeret.